

mis, in carceribus, in mortibus positus; animo tamen non frangebatur, sed praeliabatur, adeo ut potentior suis fieret infirmitatibus. Itaque considera quemadmodum eos, qui ad officia Ecclesiae accedunt, despicientiam rerum humanarum habere debere doceat. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaveritis, ne gustaveritis, quae sunt omnia ad corruptelam ipso usu. Et infra: Si ergo consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, non quae super terram. Et iterum: Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram¹⁾. Et haec quidem adhuc omnibus fidelibus: tibi autem, fili, contemptum divitiarum, profanarum quoque et anilium fabularum suadet declinationem, nihil permittens nisi quod te exerceat ad pietatem: quia corporalis exercitatio nulli rei usui est, pietas autem ad omnia utilis. Exerceat ergo te pietas ad justitiam, continentiam, mansuetudinem, ut fugias juvenilia opera, confirmatus et radicatus in gratia bonum fidei subeas certamen: non te implices negotiis secularibus, quoniam Deo militas. Etenim si is, qui imperatori militat, a susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus: quanto magis qui fidei exercet militiam, ab omni usu negotiationi abstinere debet, agelluli sui contentus fructibus, si habet: si non habet, stipendiorum suorum fructu? Siquidem bonus testis est, qui dicit: Juvenis cuius, et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem²⁾. Ea est enim tranquillitas animi et temperantia, quae neque studio quaerendi afficitur, neque egestatis metu angitur.

MALA AEQUANIMITER TOLERANDA, ET INTERDUM ETIAM DECLINANDA.

Ea est etiam quae dicitur vacuitas animi ab angoribus: ut neque in doloribus moliores simus, neque in prosperis

1) Col. 2. 2) Ps. 36.